Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2723

Quelle:
Copyright:



## DCCLII.

321 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 186. f. eleganter ſcriptus, miniatus et ſervatus continet *Sermones* ſacros XXXI. prolatos quidem a celebri ejus Seculi *Gerbobo* vel *Gerocbo* Collegii Canon. Reg. *Reichersbergenſis* in *Bavaria* Praepoſito, qui an. 1169. deceſſit, calamo vero exceptos ab *Arnone* Autoris fratre ejusdem Collegii primum Decano, dein a Fratris obitu usque ad an. 1175. Praepoſito, qui, quomodo rem egerit, e prolixa *Praefatione*, quae incipit: *Diuerſa diuerſorum inueniuntur officia* &c. decerpam. *Sunt enim noſtro quoque ut dixi tempore in domo domini operarii fideles et inconfuſibiles inter quos pater Gerb'* (ohus) *uelut alter beſelebel uidetur non ultimus refulgere — Cuius ego in euangelio chriſti adiutor preordinatus a domino in hoc ipſo ſubſeruio. quod ſermones ore gratioſo in eccleſia prolatos ab ipſo perire obliuione non ſino. — Non eſt autem noſtrę intentionis uelut officio notarii fungendo uerbis quoque eius penitus adherere. ita ut nichil admittam extrinſecum. quod noſtre quoque humilitati ad edificationem eccleſię ſanctę diuino fuerit ſpiritu ſuggeſtum. Sermonum itaque eius de quo loquimur uiri illuſtris per ſingulas pene ſollempnitates maiores per nonnullas quoque dominicas retento ac prefixo ſermoni noſtro ferme ſemper themate noſter quoque ſermo tanto erit popularior atque ut ita dicam capitularior quanto ad ipſius ſermonum themata quos uel in populis proclamauit. uel in fratrum conuentibus protulit. ueluti circa quendam cardinem fuerit reſtrictior.* Deinceps Praefatio de officio ſacri oratoris ſub Allegoria a *Tubis* et *Tubicinibus* e V. T. depromta tractat, dum ſub finem Autor ita nomen ſuum manifeſtet: *Nunc uero cum de preteritis memoria remordeat. et de futuris incertum iudicium pendeat, ſpes tamen per dei gratiam timorem uincat. eos qui preſenti ſermonum opuſculo edificari uel edificare curauerint exoratos eſſe cupio. quatenus peccatoris* arnonis *piam apud deum memoriam habeant* &c. Sermonum porro hic eſt Ordo. Primi VI. agunt de *Adventu Domini*, primusque in illud *Jer.* c. 23. *Ecce dies uenient* &c. incipit: *Captiuos babylonis omnes uidelicet nos qui in adam peccavimus* &c. VII. VIII. et IX. habiti ſunt in *Vigilia natalis Domini.* In fine VIII. orat pro iis, qui *hortatu Eugenii pape III. et uenerabilis viri Bernhardi abbatis clarevallenſis repentina mutacione ſignaculo ſanctę crucis communiti arma contra inimicas chriſti et ciuitatis iheruſalem gentes corripiunt. et pro chriſto mori aut uincere parati ad bella proficiſcuntur. tanta multitudine* (plusquam 200000.) *de uniuerſis terminis eccleſię ſimul properante quanta nunquam ſuper terram uiſa legitur.* Id quod Sermonem hunc anno 1146. aut 47. adfigere videtur. Sermo X. de *Die natali Domini.* XI. de *tribus Magis.* XII. iterum de *natali Domini.* XIII. de *S. Stephano.*